POSITIONES EX VARIO JURE.

I.

Jus naturale non eſt id, quod natura omnia animalia docuit, prout Ulpianus *in leg. 1. ff. de J. & J.* voluit.

2. Sed ſolarum atque omnium nationum commune eſt inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliquâ *Can. 1. diſt. 1.*

3. Illud partim verſatur in eo, quod quisque aut facere tenetur aut omittere, partim vero in eo, quod cuique fas eſt facere vel omittere.

4. Hinc recta eſt diviſio juris naturalis in præcipiens, prohibens, & permittens.

5. Prohibens vel ſimul eſt irritans, vel ſimpliciter & tantùm prohibens.

6. Quoties actus prohibetur jure naturæ ob defectum poteſtatis & voluntatis ſufficientis, aut incapacitatem materiæ, aut turpitudinem perpetuam atque in ipſo effectu durantem, toties actus eodem jure non tantum illicitus, ſed & invalidus eſt;

7. Extra hos caſus autem actus quidem dici poteſt illicitus, non tamen invalidus.

8. Ex-

8. Protestantes Catholico Principi subjecti in nostro Imperio etiam quoad ecclesiastica ejusdem jurisdictionem revereri debent, salvis tamen principiis propriis ex normâ anni decretorii competentibus.

9. Vicariis Imperii jus primariarum precum non competit.

10. Contra pacem Westphalicam jure suo protestatus fuit Innocentius X.

11. Clericus conveniens laicum in foro civili nequit ab eodem reconveniri.

12. Vacante Episcopatu jurisdictio ordinaria, nec non à jure delegata ad Capitulum Cathedrale devolvitur, non revolvitur.

13. Ad transactionem cum cessione rei immobilis possessæ prælati ecclesiastici observare tenentur solemnitates ad alienationem præscriptas: secus ubi jura suarum ecclesiarum pecuniâ redimunt.

14. Exceptio SCti Macedoniani in foro conscientiæ non prodest.

15. Impedimentum criminis etiam ignaros constitutionis desuper sancitæ ligat.

16. Possessor non proprietarius dignitatis, cui annexum jus conferendi beneficium, si bonâ fide possideat, potest lite etiam motâ & contestatâ super proprietate dignitatis conferre.

17. Trebellianica ob non confectum inventarium haud amittitur.

18. Vulgaris ſubſtitutio non impedit transmiſſionem juris deliberandi in hæredem inſtituti.

19. Vaſallus feudum antiquum non poteſt refutare in præjudicium agnatorum, nequidem in favorem domini directi.

20. Verius eſt, non obſtante convitii veritate locum habere actionem injuriarum, ſi quis alteri tale quid objecerit, quod manifeſtum fieri reip. non intereſt.

21. Nec contrarium probatur ex *leg. 18. ff. de injuriis.*

22. Multo minus ex iſtâ lege efformari poteſt regula, quod occulta quidem, ſed tamen vera proximi delicta revelans contra juſtitiam non peccet.

23. Ad inſtantiam fiſci criminalis poteſt judex eccleſiaſticus decernere monitorium de revelando generale ſub cenſuris, etiamſi revelatus morte puniretur.

I. O. H. D.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19